



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXVII. Argumentum. Enucleantur aliæ tres difficultates circa materiam proximam Sacramenti Extremæ Unctionis: videlicet An, & Ubi sint ungendi infirmi carentes organo alicujus sensus, ut cæci, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

tum ministrante loquitur: Deinde instincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus hic subscriptis. Verum si Sacerdos absque causa omitteret ipsum Signum Crucis, dum ungit ægrotum, peccaret mortaliter, ut advertit Nugnus in addit. ad 3. p. 9. 29. art. 6. contra quem excandescit Diana Coordinatus in cit. tom. 2. tract. 4. resol. 18. vocans eum nimis audacem in censurandis aliorum opinionibus; sed minus iuste; quia non est verum id, quod supponit ibi Diana, & alii per eum citati, scilicet quod nullum sit expressè latum præceptum de hac re; siquidem verba supraelata Ritualis Romani ordinant per expressum, ut infirmus inungatur in modum Crucis; certum est autem apud professores Sacrorum Canonum, quod Rituale Romanum est liber habens vim legis, & quod ejus Rubricæ oblegant sub præcepto. Loterius lib. 1. q. 16. n. 123. Menoch. conf. § 2. n. 145. Gratian. discept. Forens. cap. 111. n. 7. & Sperellus Decis. 179. n. 22. In Bulla enim, quam Paulus V. præmitit eidem Rituali, contestatur, in eo esse comprehensos Sacros, & sinceros Ecclesiæ Catholice Ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt. Ubi notandum est verbum i. l. d. Debet, quod de jure importat necessitatem, & est præceptivum. l. Sapè. ff. de Offic. Præsid. Fagnanus in cap. Qualiter. num. 37. De Cleric. non resid. non obstante, quod in eadem Bulla Summus Pontifex dicat, Hortamur in Domino Ven. fr. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c. nec non Parochos universos &c. ut eodem Rituali in Sacris functionibus utantur; nam etiam verbum illud Hortamur prolatum à Papa in re gravi habet vim præcepti. Fagnanus ubi supr. n. 38. potissimum quia constat de ejus enixa voluntate, dum ibidem in fine subdit: Ut in re tanti momenti, qua Catholica Ecclesiæ, & ab ea probatus usus antiquitatis, statuit, inviolatè observent. Quapropter reflectendo ad primordia Ecclesiæ, in quibus omnia Sacramenta ex Christi instructione, & ex Apostolica traditione cum signo Crucis administrari cœperunt, ad inveteratam, & universalem observantiam in adhibendo hoc Sacro Signo, ad congruentiam, & virtutem ejusdem, & ad rubricam ejusdem Ritualis Romani, nefas est asserere, inculpabilem fore omissionem ejusdem Sacri Signi Crucis in Sacramento Extremæ Unionis; nullum etenim dari potest impedimentum, ob ejus breviteratem, & facilitatem, quo Parochus ab eo efformando, dum ægrotum inungit, præpediatur.

DECISIO LXVII.

ARGUMENTUM.

Enucleantur aliæ tres difficultates circa materiam proximam Sacramenti Extremæ Unionis: videlicet An, & Ubi sint ungendi infirmi carentes organo alicujus sensus, ut cæci, surdi, ac muti à nativitate; vel non habentes brachia, aut manus? Item an in Unionibus servandus sit ordo præscriptus à Rituali Romano? Et an faciendæ sint Uniones pollice Sacerdotis, vel etiam virgula oblonga saltem tempore Pestis? Eruditiones & Hi-

storix de Cæcis, & de non habentibus brachia, aut manus, sed facientibus operationes mirabiles.

SUMMARIUM.

- 1 Infirmus carens aliquo sensu, quomodo inungendus? & num. 7.
- 2 Cæcus à nativitate illuminatus à Christo quis fuerit? & ubi obierit?
- 3 Dydimus cæcus Alexandrinus scriptor Ecclesiasticus.
- 4 Cæci plurimi à nativitate doctissimi.
- 4 Homines sine brachiis, ac manibus mirabiles operationes.
- 6 Homines cum tribus, & cum quatuor brachiis, ac manibus.
- 8 Anima nostra duas operationes. Alia per organa corporis. Alia sine.
- 9 Cæci, surdi, muti, carentes manibus etiam à nativitate ungendi sunt Oleo Sancto.
- 10 Forma Sacramenti Quid deliquisti per Visum, &c. quomodo verificetur in Cæco à nativitate?
- 11 Puella cæca concupiscens Vistas coccineas, ac purpureas.
- 12 Ordo servandus in unionibus cum Oleo Sancto.
- 13 Pollice Sacerdotis an infirmus sit ungendus, vel aliqua virgula?
- 14 Parochus tempore Pestis an teneatur ministrare Extremam Unionem?

Circa eandem materiam proximam Sacramenti Extremæ Unionis, scilicet Unionis corporis ægrotantium cum Oleo Sancto, tractant Theologi nonnullas alias difficultates, quas cum ignorare Parochus dedecet, in præsentī Decisione duxi explicandas.

Una est, quid agendum à Sacerdote hoc Sacramentum ministrante, si infirmus careat aliquo sensuum, quos Rituale Romanum præcipit inungi? Hæc difficultas cadere potest circa cæcos à nativitate, circa surdos, & mutos ab infantia, circa carentes brachiis, ac manibus; sive è contra circa habentes à natura tria, vel quatuor brachia; tres, vel quatuor manus. Quod dentur homines utriusque sexus cæci è nativitate, experientia quotidiana nos docet, & habemus testimonium illius, quem Christus illuminavit, dum exivit interram, & fecit lutum ex spūto, & linxit lutum super oculos ejus, ut scribit S. Joannes in Evang. cap. 9. 6. qui quidem cæcus vocabatur Cedonius, seu Celidonius, ut ibi notat Cornelius à Lapide Pers. 1. & de quo Petrus de Natal. in Catalog. Sanctior. lib. 5. cap. 102. testatur, quod postea Christi discipulus fuit, & post Ascensionem Domini ab Apostolis baptizatus Sancto Maximino specialiter adhaesit, & cum eodem, & Lazaro, atque sororibus ejus navicula impositus à Judæis Marsiliam appulit, & prædicti S. Maximini ordinati Episcopi Aquis prædicationis coadjutor factus, ibi post dies multos in pace quievit, & juxta Magistrum reconditus jacuit. Præter hunc cæcum natum, alium habemus insignem Dydimum, de quo Emin. Card. Bellarminus de Scriptur. Eccles. Anno 361. ait: Dydimus Alexandrinus cæcus à primæ ætate distavit opera plurima, & nobilissima. Et fides prædictus Cornelius à Lapide in Genes. cap. 27. Vers.

27. *Vers. 1.* de eodem ita refert: *Legitur de Dydimio (qui cæcus fuit per octoginta annos, & tamen in Sacra Scriptura versatissimus, unde S. Hieronymus vocat suum videntem) quod rogatus à S. Antonio, an tristeretur de eo, quod oculis careret, & ille non abnueret, audierit ab Antonio: Miror prudentem Virum ejus rei dolere damno, quam formice, & pulices habent.* De pluribus hujusmodi aliis cæcis 4 mirabilia operantibus scribit Gaspar Schottus in *Physica Curiosa lib. 3. cap. 33. §. 2.* præcipue de Diodoro Siculo Stoico cæco nato, qui non modo Philosophiam, ac Musicam, sed Geometriam quoque didicit, & hanc alios docuit, præcipiens discipulis, ubi, unde, & quò linea quilibet esse ducenda. Et de quodam Nicasio de Werda Mechliniæ nato, qui licet ab anno tertio ætatis suæ oculis captus, in omni doctrina divina, & humana adeo profecit, ut Magisterii gradum Lovanii acceperit, & in Scholis Theologiam pulchrè docuerit; deinde in Academia Colonienfi Juris utriusque Doctor factus, ibidem leges publicè explanaverit; libros, quos nunquam viderat, nec legerat, memoriter recitando. Et aliis relictis, narrat, quendam Joannem Gambasium Volateranum, etiam cæcum, artem statuariam didicisse, & duas mirabiles Statuas argilla formasse, quarum una Urbani Papæ VIII. alia Cosmi I. Hetruriæ Magni Ducis effigies simillimas referebat.

De surdis, ac mutis à nativitate non transcribo exempla, remittendo Lectorem ad ea, quæ retuli in meis Decisionibus de *Panitentia Decif. 22. per totam*; sed utique de natis sine brachiis, ac sine manibus; quorum prolixam seriem ponit idem Gaspar Schottus in *d. Physica Curiosa lib. 5. cap. 7.* ex qua desumere cogor relationem sequentem, per eum desumptam à P. Laurentio Stengelio in *lib. de Monstris cap. 16. §. 9.* his verbis, *Anno Christ 1628. Ingolstadii, in Collegio Ignatiano, multis Perillustribus, Generalisque Dominis, ac Nobilissima Studiosorum corona præsentibus, sederamus expectatione novi alicujus spectaculi intenti: Cum ecce mediocris Staturæ, Vir in conclave ingreditur, magnificis passibus, pallio in humerum contorto involutus; atque ante mensam, theatri loci appositam, reverentiam Spectatoribus exhibet, ignatis quid spectaturi essent. Præmissis hoc caremoniarum honore, pallium ore mordicus apprehendit, & de se expectatissime super mensam projicit. Quo amoto, evolutus ipse adstat statua instar truncate, ab humero deorsum planus, tanquam trabs quædam vestibis induta, aut trophæum, cui arma appenduntur. Carebat enim ambabus manibus, & utroque brachio erat destitutus. Mox in mentem insiliit, & excussis calceis, paulò plus, quam primores pedum digitos ostendit, quos habebat, haud multò, quam nos, longiores. Illis tamen omnia faciebat, quæ alii manibus solent. Nam, in primis musicum Organum scitissime pulsabat, & si, qui folles attollens ponè adstabat, negligentem se ostendisset, plano pede alapam illi excussissimam dabat. Tum panem, carnes, aliaque, isdem pedum digitis cultum tenens, scindebat. Quin & Vitrum levabat uno pede, alteroq; cantharum, sibi que ipse infundebat, & nunc Vitrum, nunc cantharum ori admotum exhauriebat. Pothea & chartis pictis cum socio ludebat, eas miscens, distribuens, tenens, atque in mensam cum sonitu projiciens, non secus atque alius omnibus mem-*

bris integer homo. Denique calamum arripiebat, pulcherrimos characteres scribebat; quodque, magis mirandum, & acum sumebat, quam filum, trajiciens, quovis Sartore citius nebat, & fœbat. Itaque quicumque videbat eum operantem, manus dicebat ei, non officia manuum defuisse; aut, certe manus ipsas in locum pedum demigralle. Hæc Stengelius, & ex Stengelio Schottus, qui, eod. cap. 7. aliam Hostriam ponit ejusdem formæ, minæ Anglæ brachiis destituta, quæ ore, & lingua præstabat multa, quæ alii manibus præstare solent.

Sed in prædicto *lib. 5. cap. 9.* pergit idem Schottus narrare quamplures alios casus diversorum hominum, quibus natura dederat tria, vel quatuor brachia; tres, ac quatuor manus, & cum Schorto concordat Fortunius Licetus, olim in hoc Publico Gymnasio Patavino Philosophiæ Magister meus, in *tract. de Monstris lib. 1. pag. 11. & seqq.* Igitur sicut dubitari potest, an quadrumanes quater sint in manibus ungendi, ita è contra major est dubitatio, quid debeat facere Parochus vocatus ad dandum Oleum Sanctum ægroto, qui fuerit cæcus à nativitate, vel ab infantia; sive ab eodem tempore laboraverit surditate, aut mutitate; sive etiam qui natus sine brachiis, aut eis obtruncatus à primis annis, manus nunquam habuerit an sensum tactus exercendum. Siquidem in his ægrotis quomodo verificabitur Forma Sacramenti: *Indulgeat tibi Dominus quicquid per visum, per auditum, per locutionem, per tactum deliquisti; si neque visum habuit, neque auditum, neque loquelam, neque manus, ad videndum, audiendum, loquendum, ac tangendum? Docent Philosophi, & S. Thomas 1. p. q. 77. art. 5. quod anima nostra quasdam operationes potest exercere sine organo corporali, ut intelligere, & velle; At non etiam illas, quæ exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem; ut disputando probat Collegium Compluten. lib. 1. & 2. de Anima disp. 6. q. 3. §. 1. & Maltius in eod. tract. de Anima disp. 6. à num. 3. & seqq. ubi docet, quod in præsentis statu anima nostra in sua operatione pendet à potentia organica. Hinc Dicastillus de Sacrament. tom. 1. tract. 7. disp. 1. dub. 3. num. 51. relatus à Diana part. 10. tract. 16. resol. 81. quæ in Coordinato est tom. 2. tract. 4. resol. 1. asserit hujusmodi ægrotos non esse ungendos in sensibus, vel in parte vicina sensuum, quos non habuerunt, subdens hanc rationem, *Qui enim nunquam habuit oculos, nunquam peccavit per oculos; nec concupiscentia videndi, si peccatum fuit, fuit peccatum oculorum. Unctio autem in alia parte omnino distincta, non significat remissionem peccati commissi per eam partem, quæ non existit, nec unquam exstitit; nec commissi per concupiscentiam operandi per talem partem, aut sensum, qui nunquam fuit.**

Nihilominus resolutio difficultatis est, quod prædicti ægroti quamvis ab infantia, aut à nativitate cæci, surdi, muti, brachiis, vel manibus truncati, sunt ungendi Oleo Sancto in partibus proximioribus organo, quod non habent; tum ex præcepto Ecclesiæ; quia *Rituale Romanum in Rubrica de Sacrament. Extrem. Unct.* ait in fine: *Siquis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma: tum ex communi opinione, & doctrina Theologorum ita asserentium, quos citat, ac sequitur Diana part. 5. tract.*

tract. 6. resol. 11. translata in Coordinatum d. tom. 2. tract. 4. resol. 48. quibusego addo S. Thomam in Supplem. 3. p. q. 34. art. 7. S. Bonaventuram in 4. dist. 23. part. 2. q. 3. Suarezium in 3. p. tom. 4. disp. 42. sect. 3. n. 4. Gonetum tom. 5. tract. 6. disp. 3. num. 8. Salmanticenses de Extrem. Unct. tract. 7. cap. 2. à num. 23. & seqq. nec non Emin. Card. de Lauræa de eodem Sacram. disp. 11. n. 186. Ad objectionem autem, quomodo verificentur in his ægrotis verba formæ

10 *In-dulgeat tibi Dominus quicquid per visum, auditum, tactum &c. & deliquisti*, si nunquam viderunt, audierunt, tetigerunt? respondent dupliciter: uno modo, quod prædicta verba intelliguntur conditionaliter, id est, *Si quid per visum, auditum, tactum &c. deliquisti*: altero modo, quod licet homo carens visu, vel alio sensu non possit peccare mediante organo illius sensus, quem non habet; nihilominus peccare potest per potentias internas, quas habet in anima; quandoquidem (ut supra notatum est) Anima rationalis dupliciter operatur, vel per organa corporalia, vel per potentias non organicas internas, quarum ipsa anima est subiectum *Quod*; ut explicat D. Thomas 1. part. q. 77. art. 5. & declarant Complutenses d. lib. 1. & 2. de Anima quest. 3. §. 1. & 2. disp. 6. Igitur etsi cæcus non videat organo oculorum; interior tamen anima cupit videre, & ex illo desiderio, si immoderatum, vel inordinatum sit, potest delinquere. Agnovi puellam nobilem cæcam ab

11 infantia, quæ impensè delectabatur vittis coccineis, & purpureis; ac iisdem tum caput, tum humeros, ac brachia sua ornat; utique non alia de causa, nisi quia à puellis aliis audiebat, colorem coccineum, ac purpureum esse cæteris pulchriorem. Quamvis itaque cæcus non iudicet de colore; ex nimio desiderio, & affectu ad illum, potest dari culpa venialis, delenda per Sacramentum Extremæ Unctionis etiam in cæcis à nativitate; idemque dici potest circa inordinata desideria audiendi, loquendi, & tangendi in hominibus, qui hos sensus externos non habeant.

Altera difficultas est, An in administrando hoc Sacramento, & in sensibus ungendis servandus sit

12 ordo in Rituali Romano præscriptus, videlicet, ut primum inungantur oculi, deinde aures, postea nares, subinde os, manus, pedes, & renes: Omnes Theologi ad hanc difficultatem respondent, de necessitate Sacramenti non esse talem ordinem servandum; sed utique de præcepto Ecclesiæ. Idcirco si Sacerdos dans Oleum Sanctum infirmo perverteret supradictum ordinem, valde conferret Sacramentum; sed si absque gravi, & urgenti causa pro suo arbitrio sensus ungeret, graviter peccaret, quia Ritus à Romana Ecclesia præscripti in administratione Sacramentorum sunt à quocunque servandi, ut supranotatum est, & advertit Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. num. 181. Salmanticenses d. tract. 7. cap. 2. num. 21. & Martius in 4. sent. disp. 6. num. 41. ubi hæc scribit: *Qua tamen à Theologis non idè dicuntur, & conceduntur, ut passim absque ulla necessitate ea in praxi redigi liceat; nam si nulla occurrit necessitas, debet Unctio fieri eo ritu, & cum omnibus illis circumstantiis, quas Ecclesia præscribit. Et alias pro qualitate transgressionis esset mortalis culpa. Solum ergo per hoc Theologi significare intendunt, quod quamvis ex præcepto Ecclesiæ ista fieri, & servari debeant,*

nec proinde nulla urgente necessitate sine peccato omit-
ti possint, non sunt tamen de essentia hujus Sacramenti, nec ad ejus validitatem requiruntur. Igitur absque urgentissima causa (quæ raro accidere potest) non est pervertendus ordo in ungendis sensibus infirmi; sed ipsa unctio est facienda de sensu in sensum juxta ordinem Ritualis Romani.

Ultima difficultas est, an liceat ungere infirmum in administranda ei Unctione Extrema non pollice intincto oleo sancto, sed aliqua virgula oblonga in eodem Sancto oleo intincta, vel gossipio ipsi alligato? Respondent omnes Doctores tempore pestis licere uti prædicta virgula ad effugiendum periculum contagii; secus autem extra tempus pestis, & extra periculum contagii. Ita Sylvius, Marchinus, Mancinus, Barbosa, & alii, quos citat, & sequitur Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 4. resol. 34. & 35. quatum prima est in Diana antiquo part. 3. tract. 4. resol. 166. secunda verò in part. 5. tract. 3. resolut. 79. concordant Salmanticenses d. tract. 7. De Extrem. Unct. cap. 7. num. 15. Et ita est omnino observandum; quia ubi non est periculum pestilentie unctiones sunt faciendæ digito Sacerdotis, ita præcipiente Rituali Romano, cujus Rubrica immediatè ante primam unctionem Oculorum ita loquitur: *Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus hic subscriptis.* Quod autem hæc Rubrica habeat vim præcepti diximus supra Decis. 66. num. 19. ex DD. ibi citatis. Utum autem tempore pestis Parochus obligatus sit administrare hoc Sacramentum Extremæ Unctionis pestiferatis? dicemus infra Decis. 71. & scripsimus de Ven. Euchar. Sacram. Decis. 61. num. 27. & 28. ubi etiam retulimus Theologos asserentes iisdem peste infectis posse dari Sacram Eucharistiam cum cochleari argenteo, vel in pagina munda statim comburenda; prout Extremam Unctionem cum virga oblonga, ut præter supracitatos à Diana docent etiam Naldus Verb. Sacramentum, num. 7. in fin. & Bissus in Hierurg. Sacra Verb. Minister Sacramentorum, num. 171. §. 34. Quod verò diximus in d. Decis. 61. num. 28. supradictas DD. opiniones fuisse damnatas à S. Carolo in All. Mediolanen. De Cura pestilent. cap. 15. num. 2. ut testatur Gavantus Verb. Pestis num. 6. in Manuali, intelligendum est de porrigenda Sacra Eucharistia cum cochleari, vel cum pagina, ob irreverentiam erga tantum Sacramentum; non autem de Unctione infirmi cum oleo Sancto; cum nulla indecentia resultet, concessum est ab omnibus DD. ut cum virgula possit ministrari, ad effugiendum periculum contrahendæ pestis in Sacerdote ex contactu sensuum ægroti pestiferati. Quæ autem sint signa ad cognoscendam pestem eruditè declarat Zachias in Q. Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 3. tit. 3. qu. 3. quem curiosum Lectorem percurrere non pigeat, ibi enim & instructiones, & eruditiones plures reperiet, de quibus, & de aliis tempus pestis tangentibus dicemus infra Decis. LXXIII.

DECISIO LXVIII.

ARGUMENTUM.

Traditur Forma hujus Sacramenti Extremæ Unctionis; & disputatur, An ad valorem Sacramenti debeat esse deprecatoria? vel sufficiat Indicativa, aut Imperari.